

Meque measque bonus respicit Aonidas.
 Altius est terris (b) mi nunc iter; altius egit
 Bellerophonteis artibus edomitus
 Ales equus Pindi audentem trans & juga celsa,
 Trans & Parnassi laurigeri nemora
 Ventorum in sedes: terras unde arduus omnes
 Subiectas prono lumine despiciam
 Ipse regens celeri volitantem flamine currum,
 Per liquidum ipse notans aera primus iter.
 Nec Myriis adeo metuam contendere, nec me
 Cretacus multo vincet honore faber;
 Quamquam illi intactae primi rabiem amphitrites
 Pacarint nemoris Peliaci trabibus;
 Ille autem aligeras volucres imitatus ad arcem
 Incolumis tandem venerit Euboicam,
 Incolumis, non & felix. tuus, Icare, casus
 Heu misero patri gaudia subripuit.

Cujus

(b) Recte inquit sibi nunc esse iter terris altius,
 quum prius de Echus natura egerit, nunc vero de
 aeria navi acturus sit, quam P. Franciscus Lana non
 poetice minus quam ingeniose adornavit. Ejusdem
 etiam possibilitatem, ut ipse dicit, planiore ac sim-
 pliciore modo demonstravit Tentam. X. primae par-
 tis Colleg. Curiosi editi Norimbergae anno 1675.
 Johannes Christophorus Sturmius Phil. M. Mathem. ac
 Phys. in Inlyta Altdorffina P. P. & h. t. Univers.
 Rector.